UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sacrificio Missæ Expedite Celebrando Libri III

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1661

Quid peccet qui prædicta decreta non observat n. 1

urn:nbn:de:hbz:466:1-41878

Visual Library

§. XI.

Super illud §. primi num. 14. Episcopus vero, &c.

Vbi cavetur ne Superiores praedictam licentiam concedant, nisi ipsis constet, onera suscepta, & suscipienda correspondere redditibus.

1. IDita perspicium est, ut alia explicatione non indigeamus.

§ XII.

Quid peccet, qui praedicta Decreta non observat?

1. CErte hic aptus videtur locus decernendi, An singula haec decreta de Celebratione Missarum obligent ad mortale?

Qui non distinxerunt, confuse satis hanc difficultatem pertractasunt

runt. Adverte ergo in his Decretis varie loqui Sacram Congregationem, & secundum varitaetem verborum de gravi, vel levi obligatione ab ipsa nobis imposita, esse judicandum. Dico (ab ipsa imposita) nam de obligatione orta ex natura delictorum, ut in defraudante de Missis promissis, de non observante Fundatoris mentem, & similibus, sparsim habes in toto hoc Opusculo suis in locis.

2. Jam vero Primum Decretum positum §. 1. nu. 7. ubi interdicitur Episcopis, & Generalibus reductio Missarum, est sub his verbis. *Districte prohibet ne, &c.* & sub illis. *Alioqui reductiones omnino nullas, atque inanes decernit.* Obligat ergo hoc primum Decretū ad mortale Ratio est illa, quam insinuavimus § 8. n. 17 quia hoc præceptum est absolutū. Adde quod Episcopus per reductionem, quàm faceret, esset causa, ut non celebrarentur omnes Missæ

à Fundatore præscriptæ, ergo cooperaretur ad injustitiam.

3. Secundum Decretum ibidem positum n. 8 ubi præcipitur tot esse celebrandas Missas, quot fuerunt præscriptæ, per hæc verba fertur. *Sub obtestatione divini judicii*, & *Graviter peccant*. Ergo peccare mortaliter contra facientes, ex dictis §. 8. n. 2 palam est.

4. Tertium Decretum positum numer. 9. ubi revocantur privilegia certum est obligare ad mortale, quia uti privilegiis revocatis, atque adeo nullis in re gravi per se peccatum est.

5. Quartum Decretum positum n. 10 ubi prohibetur, ne Sacerdos partem eleemosynæ Missæ sibi retineat, qua ratione obliget, dixi supra §. 5. num. 6.

6. Quintum Decretum positum nu. 11. de investienda pecunia, fertur sub hac clausula: *Sub pœna Interdicti ingressus Ecclesiæ ipso facto incurrenda*. Obligat Ergo, secundum opinionem,

pinionem, quam quis habet circa dictæ pœnæ gravitatem, & efficaciam juxta dicta toto §. 8. præsertim num. 18. Nota tamen hic facile posse delinqui contra jus Fundatoris, si tua negligentia officiat perpetuitati Missarum.

7. Sextum Decretum positum nu. 13. ubi præcipitur, nec recipiantur eleemosynæ manuales pro Missis nisi præcedentibus satisfactis, sub hoc Imperativo dicitur. *Abstineant*. Cum ergo quando per verba Imperativa lex fertur, aliqui ad nullam culpam obligant, aliqui solum ad venialem, aliqui juxta materiæ gravitatem, levitatemve, & omnes quidem probabiliter, a ita hic dicendum erit.

8. Denique Septimum Decretum positum num. 14. ubi prohibetur, ne Episcopi facultatem concedant ad onera Missarum, nisi facta diligentia, etiam habetur per illa verba imperativa *Diligenter*

a *Apud Castrop. de leg. t. 3. de 1. p. 9. n. 3.*

inquirant, quare nisi ex Episcopi negligentia damnum fiat Fundatori, idem dicendum, quod numero præcedente dictum est de sexto Decreto.

Ad quid teneatur Successor, quando prædecessor in his Decretis observandis fuit negligens.

9. PEtes. An etiam Prælatus successor in hæc peccata, & pœnas incurrat, si negligens sit in observandis his Decretis, quæ suus Prædecessor non observavit?

Respondeo Regula generalis sit, quod Successor tunc solùm peccat incurritque pœnas dictas, cum res non observata à Prædecessore, potest ab ipso observari, secus immunis erit successor. Hinc fit, quod si Prædecessor non deposuit pecuniam pro missis apud Ædem Sacram, si non abstulit capsulam ab Ecclesia, si non fecit celebrari Miss-

sas